

EXPLICATIO TABEL-
læ parallaxeos.

DOCTRINA parallaxeos est res admirabilis, & omnium pulcherrima. Nam ea & corporum cælestium magnitudines, & à terra distantias, eclipses, ac plura alia nobis patefacit, quæ imperitis impossibilia, ac humano ingenio imperuestigabilia videntur. Suscepi igitur aliquantulum laboris, studiosorum causa, in conficienda ista tabella, ut deinceps de quibuscunque phænomenis certius quàm hactenus factum est, iudicari pronuntiarique possit. Vniuersa area tabellæ continet in se parallaxes respondentes determinatæ, à centro terræ, iuxta eiusdem semidiametri mensuram, distantia, & singulis quinque gradibus distantia à vertice in meridiano, per integrum quadrantem, seu 90 gradus. Initium tabellæ fecimus à distantia duarum semidiametrorum, deinde 4, postea 8, hinc 10, inde 20, 30, 40. Et quia Copernicus minimam diuiduæ lunæ à centro terræ remotionem, crebris obseruationibus, se deprehendisse fatetur 52 semidiametrorum, & insuper 17 scrup. maximam verò 68 semid. 21 scrup. sed nouæ plenæque lunæ minimam 55 semidia. 8 scrupul. maximam verò 65 cum semisse: illius quoque parallaxes supputauimus, ac subleuarunt hinc nonnihil nostrum laborem tabellæ Prutenicæ summi artificis Reinholdi. Sed nos adhuc ultra orbem lunæ progressi, propagauimus tabellam vsque

K